




DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,
QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Mercurii, Anni ultimâ M. DCC. XXXII.

M. PHILIPPO CARON, Antiquo Facultatis Decano, Doctore Medico, Præside. Autore.

An Humoribus quibusque sedes eadem & origo est, illoque, quod incolunt, Organo nascuntur?

I.



ITA à Deo est. Vita quid sit, eamque quid constituat, non ausi sunt Philosophi definire. Omnes autem cum vulgò asserunt eam præsentem, si functiones exerceantur; nullam, si desint functiones. Non tamen omnes viventis functiones æquè censentur necessariæ & vitam immediatè comitantur. Sed vivens pronuntiatur, quod nutritur & crescit, Vita quippe conceditur ad tempus. Eâdem conditione, omnes viventis partes eam suscipiunt tempore suo posituræ. Sic est natura, ut ipsâ successione perennet, properet ad interitum; in locum sui sufficiat quod genuit. Naturale, quod à principio interno, ut quod sentit

& movet, animal nuncupamus. Principium hoc insectile est. Idem & totum cunctis & singulis consortibus pro ratione. Partes avulsæ à toto, eo non gaudent amplius. Scilicet vis naturalis sapienter indita, sapienter administratur, communione viget. Nulla nutritio, nisi nutriens & nutriendum: virtus organis instructa & commodis. In omnibus utpotè naturalibus, substantias intelligimus. Ad alias disciplinas remittimus abstracta. Si qualitates appellamus, cùm corporibus conjunctas habemus. Sic non humiditatem, sed humidum vocat Hippocrates, siccum, calidum, frigidum. Quamvis totum corpus humeat, dicitur humor quidquid in corpore fluidum saporem habet. Fluidi proventus maximus in arteriis & venis, quibus adduntur venæ lymphaticæ. Sed in his humor tenuior est coloris ferè aquei & consistentiæ. Sunt tamen alii humores ab his dissimiles sive quoad sedem, sive quoad generationis modum, sive quoad usum. Hi in flumine non volvuntur, sed cum eo communicant quamdiù in corpore, vitalitatis jure gaudent: in secessu effinguntur & diversas induunt formas non inutiles: usus est mutatus quia ipsi humores mutati, sede mutata; nec retrogradi nisi corporis malo. Multi tamen revocantur ad flumen sed per loca convenientia & tempore opportuno. Hæc meditatur Medicus; quia indè sanitatis & morbi discrimina. Functiones ad vitam maximè necessariæ sunt, earum effectus Vitæ sunt conditiones. Ideò Hippocrates invehitur in Sophistas & Medicos aliquos curiosos sed vagantes extra cancellos naturæ operantis. Sapiens intelligit objectum Medicinæ, corpus humanum vivens: mortuum ut imaginem contemplatur. Vitat errorem, qui munia prosequitur, meminitque semper, in naturalibus nihil esse superflui, defectum nullum. Nihil esse pluris in effectu quàm in principiis. Dum vitæ suæ quis conservationi studet, sibi aliisque prospicit pro virili. Sed quæ ad omnes pertinet, non dicitur Ars, qui à nemo artifex. Quæ verò peritiam requirit majorem, & totam complectitur, à paucis cognita & exerceri potest, tunc ars est.

I I.

IN primâ corporis analysi occurrunt solidum & fluidum. In utroquè miranda. In solido; motus, figura, capacitas. In humore habilitas ad suscipiendum vasis motum, figuram: insinuatio, penetratio; qualitatum simul suarum tenacitas, ut in quiete, actio perpetua; in mobilitate, constantia nusquam unquam deficiant. Hoc cumulatè, essentia non variat nisi ordine instituto, in loco determinato, ratione naturæ. Sanguis in arteriis & venis continetur, perenni motu systoles & diastoles percutitur, propelliturque in extrema corporis per arterias, redit per venas vasa parallela cono inverso. Venæ lymphaticæ seri sanguinei partem suscipiunt; centrum hujus perennis circuitûs, cor. Ad illud tendunt venæ, ab eo arteriæ sumunt exordium. Hæ dispergunt, illæ colligunt & opera conjuncta rebus publicis & privatis provisum est prudentiâ exquisitâ. Præter arteriarum propagines innumeras per quas sanguis truditur, adsunt à latere ipsarum vasa quæ sanguinis partem excipiunt & humores varios instaurant. Ibi non est circuitus solemnis, non perfectus sanguis ex sero & globulis. Alius color, alia consistentia, alii sapores. Locus non adeò clusilis ac in orbe sanguinis, patet exitus in corporis externum, vel in ventrem quo penetrat aër. Indè fit ut minùs integer conservetur humor quàm intrà arterias & venas in quibus corruptio non fit. Porrò humores excrementa si habueris, inutilia esse refellet usus constans, & à defectu dispositio prava. Materiam humorum ex sanguinis penu derivatam dubitat nemo. Quæ sanguinis portio secernatur, minùs est ratum. Videtur in fluidis satis tenuitatis, constat chyli commeatum esse per angusta. Substantiam ejus molliorem quàm quæ subacta magis adscivit sibi compactiorem compagem. Dos in hac re, pronitas in corruptionem. Indè si resideat, in lentorem. Usus præcipuus irrigatio ad mollitiem, mox ferè ad vanescendum promptitudo. Ipsa alimenti necessitas arguit aliam deperditionem quam sanguinis propriè dicti, qui in fame perstat post mortem. Vix diù post inediam chylum in sanguine reperias. Casu fortuito contingere ne dicas; locus paratus, operis constantia, ordo à primordiis vitæ, proportio conspiciuntur. Vices naturalium rerum fortunæ non tantùm debent.

III.

CUJAS humor ? indigena. Suum habet locum, nec temerè peregrinatur. Si quando ad alius mansionem incurrerit lapsus, aut intrusus contrà consuetudinem, periclitantur ambo. Brevi suo jure cadit qui invadit, & turbas patitur qui accepit. Fortassè excipitur quasi ex contracto fœdere, sed conditiones sunt. Materia humorum è penu sanguinis. Officina; viscera, glandulæ. In eas non fertur pleno gurgite, nec sanguis completus. Per collicias Chylus cùm sanguine confusus divertit, ibique corrumpitur in humorem loci inquilinum, aëre subeunte per extremum apertum. Quàm valeat aër non dubium est. Glandula Hippocrati, spongiosa est, rara, pinguis, carnis propriæ, friabilis & multis venis referra. Recentiores glandularum structuram prosecuti repererunt arteriam, venam, nervum, & vas excretorium amplitudine, multitudine, ordine diversum. Addunt nonnulli organa secretoria. En Instrumenta. Viscus est, excipit & præparat materiam. Pars corporis ex solido & fluido constans vivit. E penu sanguinis excipit, fungitur munere imperato, sive ad excretionem, sive ad usûs corporis. Post pastum abundat glandula; post inediam, eget. Hoc in ore præsertim nemo non sentit. Quàm multi sunt humores in corpore præter sanguinem, omnes è glandulis scaturiunt. Speciei nulla commutatio. Nec Anatomici in cute hominis bilem repererunt, nec alibi quàm in vasis propriis, quàm multos ipse sanguis habet è glandulis. Hoc cui bono? dices: An ad condimentum, an fermentum, an putredinem necessariam faciant & patiantur, ad complementum, an ut quæ sic vigent, indè corruptionem timeant? apud Hippocratem satis est de commodis & incommodis glandularum ut earum dignitas innotescat. *Et id quidem* quòd affluit foràs emittens, alterum verò excipiens, semper eodem statu consistens . . . tum humores trahit, tum morbos creat. Ambo magnâ molestiâ naturam debilitant, licet affectiones malitiâ distent. Excipiunt igitur & remittunt glandulæ & administrationem bonam vel malam sequuntur commoda vel incommoda non contemnenda.

IV.

QUIS credat generari humorem in parte parvâ & ignobili; nutriri humorem instaurarione perpetuâ quàm in loculo perficit., cùm organum tantùm ad secretionem & excretionem aptum conspicitur. Optimè. Cadaver contemplatus es. Sed idem vixit & à conceptione ad mortem functiones exercuit. Primariam negas quia evanuit; sed reliquiæ testimonium dant. Vasa sunt, sed vas non solùm capax. Continet humorem hunc non quemlibet: non simplex est. Addas facultatem necesse est. Secernentem fateris, non commutantem: quid de probitate humoris censes? vis partem privatam vita quæ in actione est, ut alteri consorti accumules. Vas hoc pervium ad commeatum, sed præter viam, diversorum exhibet & officinam. Hàc non præterit totus humor insalutatus. Qui ab arteriâ migrat in venam, idem perstat. Qui glandulam subit, aut alius est, aut alius evadit. Undè alius iste sanguini obtigerat? occultus, obscurus, ignobilis. Manifestus in vase proprio, suæ speciei, sui juris. Et locus & humor ejusdem ætatis, ab eodem autore; partes ejusdem totius, gaudent privilegiis paribus: virtus eadem, organa propria; destinatio communis, adjumenta æqualia, passiones pares. Sin idem, quâ similitudine, amicitiave confluunt partes quæ in dissolutione nusquam apparent. Extiterunt priùs vagæ particulæ, nec in sensum cadunt? Vita est in vigilia, constat actione. Non creat, sed vis in artificibus conspicitur. Ii enim naturam imitantur, nihil nisi quæ suæ sunt artis, exhibent. Si quid ultrà promittunt, vanum est nec possunt reddere. Verùm si periti, materiam, instrumenta, commoda obtineant; & ipsi sedulò & constanter operentur, opus perficiunt & indè laudantur. Natura perseverat & ejus ordo mirandus. Opus obviam est in loco & tempore, nec Instrumenta latent quærentem. Si variet imaginatio, errore plectitur, natura pergit, cujus observator Medicus secreta cognoscet, cliens, non herus; Potens in ordine, tempore & modò arbiter & adjutor.

V.

EST igitur sedes eadem & origo humoris. Nascitur is in organo vase suo. Qui credere recusat, plura fingit absurda : materiam, præparationem, causas, Instrumenta è longinquo accersit, propria & præsentia repudiat. Systema Medici, opus naturæ ipsius observatum. Huic studet, piaculum sentit statim, si ab hoc deflexerit, subsequente pœnâ. Nulla novi corporis effictio. Cuncta in Embryone, ac in adulto. Non eodem tempore dant se in conspectum. Hoc & scire debet Medicus & modum processûs. Quæ in omnibus similiter habent, à naturâ sunt. Nihil magis perpetuum, nihil constantius, nihil evidentius quàm in corpore humores varios & diversos reperiri in loco suo secretos & in sedibus suis perennes. Non ibi stabulari torpidos, sed moveri & commeare. Non ad libitum vagari, sed ordine certo procedere ad usum & excerni. Vitæ sunt, & vitæ se debent. Generationis & corruptionis vicibus species conservantur, individua Domino apparent magnifico, qui officium exigit & ea dimittit. Hocque in mediâ Republicâ ita ut judicentur ommes humores, vicini & conviventes bono congratulentur, è vitioso collaborenr. Nec temerè mutant locum generationis suæ, nec impunè viam suam. Laribus addicti, vigent & germinant. Patriâ extorres pereunt ut vix ex illis quicquam appareat; aut corpus perturbant. Medicus invigilat conservationi & instaurationi. Procurat materiam, organum tuetur, virtutem adjuvat, prospicit commodis. Nihil tamen à se confert præter ordinem & opportunitatem adhibendorum, quæ diligentia collegit & judicio comparavit. Scientia est pars Medici, rem minimè perficit, naturæ est. Sed scientia potest dirigere; nec prætereà sibi tribuit effectum : hæc temeritas sæpiùs vapulat : sed autori cujus est minister. Extrà pomoëria corporis videt fausta & infesta. Sollicitè amovet aut fugat. Hoc autem habet certum, occasiónes adjuvandi aut lædendi incurrere ab externis, indè tamen rarò convelli, rariùs extingui animadvertit functiones. Nihil corrumpi quòd naturale est, si etiam passum sustinere possit, nec organum dissiliat, aut deficiat materia. Ab internis magis timet. Compressionem vasorum, Convulsionem, Paralysim, Distorsionem, Obstructionem, Tumorem, corruptionem. Undè virtutis defectio, materiæ penuria aut ex abundantiâ oppressio, ex ordine perverso pravitas.

Ergò Humoribus quibusque sedes eadem & origo est, illoque, quod incolunt, Organo nascuntur.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Robertus-Hubertus Linguet.

M. Achilles-Franciscus Fontaine.

M. Joannes-Baptista-Ludovicus Chomel.

M. Hyacinthus-Theodorus Baron.

M. Ludovicus-Maria Pousse.

M. Claudius-Antonius Renard.

M. Ægidius Adam.

M. Camillus Falconet, Salubris Consilii Regii Socius, & Regiâ Numismatum Academiâ.

M. Hyacinthus-Theodorus Baron, Facultatis Decanus.

Proponebat Parisiis ANTONIUS-JOANNES DAVAL, Parisinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1732. à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1732.